Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

eorum et deficient et in puluerem
suum reuertentur. Quid autem eorum
spiritus nisi superbia nominatur? Tol-
latur ergo spiritus eorum ut deficiant.
idest subducto superbie spiritu ni-
chil se de se esse cognoscant.
et reuertantur in puluerem idest
humilientur ex infirma condi-
tione. Nam hunc puluerem
ad cuius memoriam qui semet
ipsos consideraverint reuertuntur.
per sapientiam dicitur. Iusti fulgebunt
et tamquam scintille in arun-
dineto discurrent. Sancti enim
viri cum peccatoribus perniscentur.
eos exemplorum suorum igne
succendunt. atque omne quod in-
uenerint in cinerem redigunt. quia
pietatis flamma consumpti.
dum conditionis sue infirmitatem
conspiciunt. nichil aliud quam fa-
uillam se esse cognoscunt ut a
superbie sue duritia resoluti
per penitentiam dicant id quod super-
scripsimus. Memento domine quia
puluis sumus. Bene ergo dicitur.
quia cum ad se spiritum hominis
dominus trahit deficiet omnis
caro simul et homo in cinerem
reuertetur. Hec ergo Heliu uerba
et uera sunt et magna que
dicit. Sed quia male mox
ex eo quod bene sensit intu-
muit uerbis sequentibus pro-
dit dicens. Si habes ergo in-
tellectum audi quod dicitur et aus-
culta uocem eloquii mei.
Habent ergo hoc proprium omnes
arrogantes ut cum fortasse
acutum aliquid senserint inde
mox ad uitium elationis erum-

pant. sensusque omnium in sui
comparatione despiciant. seque
in suo iudicio aliorum meri-
tis anteponant. Quibus con-
tingit miseris ut plus in-
tendo tenebrescant quia dum
subtilia attendunt semetipsos
intueri nesciunt et quo in-
telligentiam acutius percipiunt.
eo per superbiam deterius cadunt.
Qui bene quidem subtilia cognos-
cerent si in eo quod proferunt
se uiderent. Superius namque He-
liu dixit. Si habes quod loqua-
ris responde mihi. Loquere. Vo-
lo enim te apparere iustum. Nunc
autem ait. Si habes intellec-
tum audi quod dicitur. Ecce quomodo
paulisper elatio per uerborum in-
crementa proficit. Superius dubi-
tauit si posset beatus Iob pro-
ferre quod iustum est. nunc uero
discutit si hoc quod dicitur saltim
possit audire. Ibi dixit si ha-
bes quod loquaris responde
mihi. ac si diceret. Dic aliquid
si tamen dignus esse potes qui
dicas. Hic autem ait. Si habes
intellectum audi quod dicitur. Ac
si aperte dicat. Audi me si ta-
men dignus esse potes qui audi-
as. Isti sunt cottidiani defectus
qui in cordibus reproborum fiunt.
quibus indesinenter ad deteriora
descendunt quia dum minora
incaute negligunt ad maio-
ra periculose prorumpunt.
Iam et hoc de superbia fuit
quod beatum Iob id quod iustum est
loqui posse dubitabat. Sed
dum hanc in semetipso con-